

trínsecá defunctæ sunt, quiescunt: Latior est, quia præter formam, materiam quoq; sub se comprehendit, tanquam causam internam, ex quâ corpus naturale constituitur. Differentiæ locum supplet propria formæ causalitas s. formalis ratio particulâ Per expressa. Per formam enim corpus naturale constituitur, cum forma det esse rei, non quidem effectivè, quod Efficiens; non subjectivè, quod Materia; non motivè, quod finis; sed formaliter, quod sola forma præstat, quatenus se ipsam communicando ultimam largitur perfectionem speciemq; constituit.

Caput Secundum

explicans

Divisionem Formæ

quæ est

Dividitur in Genericam & Specificam.

Generica est, quæ speciem non constituit, magisque materiæ quàm formæ rationem habet, ut forma terræ, aeris, aut aquæ in homine.

Specifica est, quæ speciem constituit, certarumq; affectionum & effectuum causa existit, ut forma hominis, equi, canis &c.

§. i. Ubi ante omnia probè notes velim, divisionem hanc non esse generis in suas species, cum eadem forma & generica & specifica esse possit, sed non eodem respectu, nec eodem tempore, sic forma ignis respectu materiæ ignis specifica est, quando autem ignis ingreditur mistum, respectu corporis misti, in quo ignis iste est, est forma Generica; Sed saltem acci-